



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Veluti Totidem Ramos
Distributa

Ilsung, Jakob

Dilingæ, 1693

Meditatio CCLXXXVII. Continuatio ejusdem Argumenti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

170 Ab Octava SS. Corp. Christi usque ad Adventum

tudinem, Perseverantiam, & constantem in omnibus Imitationem sese animent, comparatione triplex Domini, Magistri, & Patrisfamilias, fibi tantum minimis servis, discipulis, & filiisfamilias contumaciam ante oculos positam.

M E D I T A T I O CCLXXXVI

Continuatio ejusdem Argumenti.

Matth. 10.

PUNCTUM I. Cum Christus Discipulos suos ad quas vis adversa, injurias, persecutioes, secundum Exemplum suum tolerandas, excitasset, ut harum metum ipsis adimeret, asseveravit illis, quod Innocentia illorum per ignorantiam oppressa, mala omnia ipsis occulte illata, Patientiae, Fortitudinis, ac Perseverantiae in abscondito relata tropheae, aliquando toti mundo cum magna Gloria illorum sint manifestanda. *Nihil enim*, inquit Matth. 10. v. 26. *est opertum, quod non revelabitur;* *& occultum, quod non circumcidetur.* Noli ergo ipse Innocentiam tuam, & laude dignaria, ac merita tua per jactantiam aut gloriationem in hac vita alijs manifestare, sed desidera potius latere; quia suo tempore nihil erit opertum, vel occultum, quod non revelabitur ac scietur. Sicut econtra omnia mala occulte cogitata, dicta, & facta toti mundo pandentur. Ab omnibus ergo abstine quae verecundiam & ruborem incutere possunt.

PUNCT. II. Quia omnia Christi colloquia erant Sanctissima, & utilissima, ideo non tantum non reformidavit, ea alijs manifestari, sed ad hanc ipsam mani-

manifestationem intrepidè faciendam hortatur , & metum eximit. Talia sint omnia tua verba , ac dicta , ut ea citra omne tuum damnum , & Proximi offendam , vel scandalum cuilibet referri ac manifestari possint. Quemadmodum nimirum Christus Discipulis suis dixit : *Quod dico vobis in tenebris , dicite in lumine : & quod in aure auditis , prædicate super iecta.* Matth. v. 27.

PUNCT. III. *Et nolite timere eos , qui occidunt corpus , Animam autem non possunt occidere : sed potius timete eum , qui potest & Animam & corpus perdere in gehennam.* Matth. v. 28. Aliam causam timoris à Discipulis suis repellendi affert Christus in prædictis verbis , 1. ex imbecillitate & infirmitate hominum , ob quam omni sua malitia , malevolentia , odio , persecutione nihil possunt nobis per illata mala nocere , etiam si bona omnia externa , famam , honorem , ipsamque vitam abstulerint ; quia hæc damna potius lucra sunt : *Momentaneum enim & leve tribulationis supra modum æternum Glorie pondus operatur in nobis.* 2. Cor. 4. v. 17. Hinc ob metum hominum nullum malum à nobis est faciendum : nullum bonum , quod videbitur necessarium , vel magis expediens , intermittendum : nulla afflictione illorum gratia est aucupanda. 2. Ex levitate malorum temporalium , etiam corpori nostro illatorum ; eò quod , ut dictum est , nobis magis profint , quam obsint ; & quod corpus in comparatione Animæ minimi sit estimandum. Unde pro evitandis Animæ malis libenter sustineamus corporis afflictionem ; immo eandem nobis ipsis inferamus per opera , quibus sancto & laudabili Odio nos ipsos persequimur.

MEDI-